



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio XL. De necessitate Eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

is, quia est vnio cum Christo, qui in hoc sacramento continentur: quomodo etiam, qui per fidem & charitatem vnitur Christo, dicitur spiritualiter manducasse Christum, & hoc sacramentum, sicut Paul. Cor. 10. ait, israelitas eandem escam & potum spirituales manducasse & bibisse. Hoc ergo posteriori modo dicitur res huius sacramenti necessaria ad salutem, vt latius infra exponemus.

Secundo de ipso sacramento dicit D. Tho. non esse tam necessarium ad salutem sicut baptismum, quod in arg. sed contra, probat testimonio. Aug. l. 1. cont. duas ep. Pelag. 22. sed D. Th. vel non retulit haec verba ex originali, sed ex Gratiano: vel forte incidit in methodum Cod. sic n. refert verba Aug. Nec illud cogitatis paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi; quomodo refert eadem verba Gratian. in ca. in Ecclesia de conf. d. 4. re tamē vetera non ita legendū est, sed vt habent veri & emendati Cod. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, iacente ipso: Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Vnde ex hoc loco potius videtur probari huius sacramenti necessitas, & plane ex contextu & intentione Aug. costat hanc esse mentē illius, quo a. sensu veritas sit, infra dicitur. Ratione probat D. Th. assertionē suam: primō, quia perceptio baptismi est simpliciter necessaria ad vitam spirituales, perceptio a. Eucharistia ad consummationē eius: magis a. necessaria est vita, quam perfectio eius. Secundō quia aliquibus, sc. paruulis, necessarius est baptismus re ipsa susceptus, non tamē Eucharistia, quia per baptismi sacramentum ordinatur ad Eucharistiam, & veluti desiderant illam: & hoc satis est, vt accipiant rem sacramenti ad salutem necessariam: ad baptismum a. non ordinantur per aliud sacramentū, nec per proprium actum illud desiderare possunt, & ideo sine ipso sacramento non possunt recipere rem sacramenti. Ex quibus ration. videtur colligi, mentē D. Th. esse, asserere hoc sacramentū esse necessarium in re vel in voto, nunquā tamen esse necessariam realem susceptionē eius, necessitate sc. mediij seu finis, sicut interdum est susceptio baptismi: quo a. sensu haec doctrina suscipienda sit, in sequenti Disput. tractabitur, vbi etiam solutionem argumentorum explicabimus.

## DISPUTATIO XL.

## De necessitate sacramenti Eucharistiae.

**D**isputatio haec coniuncta est cum quaestione, an sit hoc sacramentum, & cum institutione eius: quia sacramenta ab institutione habent necessitatē, & propter necessitatem institui solent: vnde considerare oportet, necessitatem hanc comparari posse ad institutionem vel antecedentem vel consequentem. Vnde quaeri potest, an institutio huius sacramenti fuerit necessaria: & an, posita institutione, visus talis sacramenti sit necessarius. De priori quaest. nihil est quod dicamus: nam in illa constant duo. Primum est, non fuisse hanc institutionem simpliciter & absolute necessariam ad salutem nostram: potuisset enim Deus absq. hoc sacramento, multis aliis modis illam consummare & perficere, vt per se constat. Secundum est, hanc institutionem fuisse vtilissimam, atq. adeo necessariam, vt dicitur, ad melius esse: fuit enim post incarnationis mysterium hoc sacramentum accommodatissimum medium ad fructum ipsius incarnationis, passionis, & mortis Christi percipiendum, quod in praec. Disput. satis indicatum est, & inf. latius tractabitur, cum de reali praesentia corporis Christi, & de huius sacramenti effectibus seu vtilitatibus disputabimus.

Franc. Suarez Tom. 3.

Secunda igitur quaestio proprie ad hanc disputationem pertinet, in qua non agimus de necessitate praecipi, quae solum est necessitas ad vitandum hominum peccatum: de qua supponimus latum esse praeciptum eiuusmodi de usu huius sacramenti, & hoc sensu necessarium esse ad salutem seruare hoc praeciptum tempore & aetate, quae obligat. Agimus ergo de necessitate mediij, quae est necessitas proprie & per se, ad obtinendam salutem: & consistit in hoc, vt constat ex materia de baptismo, & aliis locis, quod sacramentum sit per se institutum ad dandum aliquem effectum gratiae simpliciter necessarium ad salutem: nani si hoc non habeat, non potest vlla ratione in eo assignari aliqua necessitas mediij, distincta à necessitate praecipi. Vnde considerandum vltcrius est, omnes esse eius gratiae necessarios ad salutem posse reuocari ad duo capita, sc. ad primam gratiam & remissionem peccati mortalis vel originalis: & ad perseverantiam in gratia vsq. ad mortem. De his ergo duobus videndum est, an Eucharistia sit necessarium medium ad aliquod horum obtinendum: quia, si ad neutrum necessaria est, euidenter concluditur, non esse medium simpliciter necessarium ad salutem, nam praeter illa duo, & quae ad illa obtinenda simpliciter necessaria sunt, nihil aliud ad salutem requiritur, quia secundum fidem, qui fuerit iustus, & in iustitia perseverauerit, vsq. ad finem, saluabitur.

## SECTIO I.

An hoc sacramentum sit necessarium ad primam iustificacionem obtinendam.

**N**on inuenio ab vilo, etiam haeretico, expresse affirmatum, realem sumptionem Eucharistiae necessariam esse aliquibus ad primam iustificacionem obtinendam, quia necessarium omnino est, vt baptismus praecedat tempore aliquo, etiam breuissimū illud esse fingatur. Certum autem est, baptismum rite & sine obice susceptum, statim habere suum effectum, absq. vlla dilacione, vel dependentia à futuro sacramento. Dixerunt autem nonnulli ex Catholicis sacramentum Eucharistiae esse necessarium ad primam iustificacionem vel in re vel in voto susceptum: nec desunt, qui putent, hanc esse mentem D. Th. hic, & inf. q. 79. a. 1. ad 1. vbi dicit, ante susceptionem huius sacramenti neminem habere gratiam nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto ecclesiae, sicut paruuli: & ar. 3. eiusdem quaest. similem habet doctrinam. Quorū fundamentum praecipuum sumitur ex verbis illis Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis: quanquam enim nonnulli contendant, ea tantum de adultis esse intelligenda, ad quos Christi sermo tunc dirigebatur: tamen sancti Patres saepe hoc testimonio probant, necessarium esse paruulis aliquo modo manducare corpus, & biberere sanguinem Christi. Ita sentit aperte Cyr. l. 3. ad Quir. c. 25. Innoc. Papa ep. 26. & Aug. ep. 105. & d. li. 1. contra duas epist. Pelag. c. 22. & lib. 1. de peccator. merit. c. 20. vbi id confirmat, quia verba generalia sunt: & quia alias posset etiam dici, non intelligi illa verba de omnibus adultis, sed de illis tantū, qui praesentes aderant Christo. Item, quia ibidem Christus ait, Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita: iuxta quam expositionem constat, illis verbis non esse explicatam solam necessitatē praecipi, sed mediij: quia in paruulis sola haec posterior necessitas locū habet, sicut constat in similibus verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. S. Ex quorum verborum similitudine confirmari potest haec sententia, quia si in vno loco illa forma verborum explicat medium omnibus necessarium, cur non in alio, cum vis & forma verborum sit eadem? Et hinc sententiae videtur fauere Cyr. l. 4. in Ioan. cap. 14. vbi exponens de hoc sacramento citata verba, dicit: Non possunt cum sanctificatione vitae fieri partici-

Quorūdam opinio.

pes, qui per mysticam benedictionem Iesum non suscepunt. Confirmatur tandem: nam Concil. Floren. dicit effectum huius sacramenti esse vnionem populi Christiani ad Christum, seu adunationem hominis ad Christum: sed hæc vnio fit per gratiã primã, per quam vnimur, & incorporamur Christo: ergo prima gratia est effectus huius sacramenti per se, & ex institutione illius: ergo ad illam obtinendam est aliquo modo necessarium hoc sacramentum, saltẽ in voto.

Vt autem rei veritas elucescat, dicendum est primo: hoc sacramentum non esse per se institutum ad remissionem peccati originalis, vel mortalis: atque adeo neque ad primam gratiam conferendam. Hæc conclusio pertinet ad doctrinam de effectibus huius sacramenti infra q. 79. tradendam: sed, quia fundamentum est presentis questionis, & ab aliquibus Catholicis reuocatur in dubium, breuiter hic confirmanda est. Existimo enim rem esse omnino certam:

1. Conclusio

Trident.

Primo ex Conc. Trid. sess. 13. Can. 5. vbi anathematis damnat eos, qui dicunt præcipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum: at vero si per se esset institutum ad remittendum originale vel mortale peccatum, & primam gratiam conferendã, certe hic esset vel præcipuus vel vnus ex præcipuis effectibus eius, & cap. 2. dixerat idem Concil. Hoc sacramentum esse institutum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse viuet propter me, & antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Vbi aperte distinguit inter mortalia & venialia peccata, & venialia sentit tolli per hoc sacramentum, etiam postquam commissa sunt: de mortalibus autẽ non item: sed dari auxilium, vt non committantur: aperte etiam hoc sacramentum ex vi suæ institutionis supponere videtur vitam, quam alit: per se autem non esse institutum ad dandam illam, quod clarius constat ex Con. Flor. dicente: effectum huius sacramenti esse augmentum gratiæ, & omnem illum spiritualem effectum, quem materialis cibus in corpore efficit: & infra subdit Eugenius, Huius sacramenti effectus, quem in anima efficit digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum: & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur. Ex quibus verbis aperte constat non primã gratiã, sed gratiæ augmentum esse effectum huius sacramenti. Et cum dicitur, vnionem ad Christum, seu vnitatem corporis Christi esse effectum huius sacramenti, non intelligitur de ipsamet effectio ne, vel, vt ita dicam, prima constitutione huius vnionis, seu prima coniunctione membrorum huius corporis: hic enim est proprius effectus baptismi: qui, si amittatur, per pœnitentiam reparatur. Intelligitur ergo de perfecta vnione istius corporis iam constituti: cum suo capite Christo & membrorum eius inter se: institutum enim est hoc sacramentum, vt conferuet & perficiat huius corporis vnitatem. Quo etiam sensu Innoc. III. c. Cum Marthæ de celebr. Miss. dixit, rem huius sacramenti esse vnitatem, id est, perfectionem vnitatis & charitatis: & clarius Concil. Lateran. in c. Firmiter, inquit, hoc sacramentum institutum esse ad perficiendum mysterium vnitatis. Ac demique omnes Patres, & Conc. vbi cumq; de effectibus sacramenti disputant, datum esse dicunt in spirituale nutrimentum & augmentum charitatis. Et valde pium, ac probabile est, datum esse, vt nos excitet ad amorem Christi non solum secundum diuinitatem, sed specialiter secundum humanitatem, & similiter ad mutuam inter nos dilectionem: hoc enim speciali modo vnitas cum Christo & membrorum eius inter se est proprius & sacramentalis effectus huius sacramenti, non vero prima gratia, nec remissio peccati mortalis.

Con Flor.

Eucharistia vnionem ad Christum alicuius effectus per se inuoluit.

Innoc. III.

Con. Later.

2. Probatu rationibus Prima ratio

Secundo argumentor ratione, primo & à priori, quia ad vnum effectum seu finem principalem, vnum

sacramentum per se & proxime instituitur, alioqui certus numerus sacramentorum non posset præscribi ex propriis finibus & effectibus eorum: sed ad remissionem originalis peccati per se primo institutus est Baptismus: ad remissionem vero mortaliũ post baptismum commissorum datum est pœnitentiæ sacramentum: ergo Eucharistia ad neutrum istorum effectuum est per se primo instituta: ergo neq; ad primam gratiam conferendam: nam prima gratia & remissio peccati, quod per illam formaliter expellitur, ad vnum, & eundem effectum sacramentalem pertinet. Nec vero dici potest sacramentum baptismi aut pœnitentiæ non remittere peccata propria virtute, quam ex propria institutione habent: id n. aperte repugnat eam sana doctrina fidei, vt in propriis disputationibus de his sacramentis offenditur. Secunda ratio sum potest ex ipsa cibi metaphora. Quis n. dicat cibum creatum esse ad vitam dandam, prout per primam generationem, seu per resurrectionem datur: cibum enim per se & ad suum finem vitam supponit: datur autem ad illam seruandam & nutriendam. Cum ergo hoc sacramentum institutum sit tanquam spiritualis cibus, non est ordinatum ad conferendã spirituales vitam seu primam gratiã. Vnde formari potest tertia ratio: quia nullum sacramentum per se, ac necessario supponit effectum, propter quem per se primo instituitur: esset enim præposita & inordinata institutio: sed vsus huius sacramenti per se supponit primam gratiam & remissionem peccati, multo magis quam reliqua, quæ dicuntur sacramenta viorũ, vt satis aperte docuit Con. Trid. sess. 13. c. 7. his verbis: Si non decet ad sacras vllas functiones quæquam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas & diuinitas huius celestis sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendũ accedat. Et infra docet præmittendã esse confessionem, quando conscientia peccati mortalis intercedit, & tunc quis contumeliose esse existimet: nimirum, vt propter maiorem reuerentiam debita huic sacramento, maior est diligentia adhibeatur ad accedendum sine graui peccato: lignum ergo est, non esse recipiendum hoc sacramentum propter talem remissionem obtinendam, & consequenter neq; ipsum sacramentum esse propter hunc finem, seu effectum per se institutum.

Quarto argumentor (ad confirmandas rationes factas, & excludendas euasiones, quæ saltem verbis contingi possunt) quia, si prima gratia vel remissio peccati mortalis est per se effectus huius sacramenti, vel id est ex speciali fœ illius effectus, propter quem est institutum, vel ex generali, quia nimirum hoc sacramentum est fons, & veluti causa vniuersalis concurrens ad effectus omnium sacramentorum. Primum dici non potest aliquo probabili fundamento, quia nullo Scripturæ testimonio nullaue promissione magis tribuitur huic sacramento effectus baptismi aut Pœnitentiæ, quam Confirmationis vel alterius sacramenti. Nec ille effectus primæ gratiæ habet maiorem proportionem cum fine, vel proprio effectũ huius sacramenti, quod per modum cibi institutum est, & ad nutriendam vitam spirituales ordinatur, quam ex sua institutione per se supponit: vnde hanc partem satis confirmant omnia quæ adduximus, & multa ex his quæ de alia parte dicemus ad hanc poterũt applicari, quæ in sequenti est conclusione fiet euidentior. Altera vero pars de generali concursu huius sacramenti, quæ à quibusdam specie falsæ pietatis asseritur, nec probabilis est, nec ad dignitatem huius sacramenti, vel deuotionem, atq; adeo neq; ad pietatem quicquam confert. Probarur primo, quia vel hæc casualitas vniuersalis sequitur ex sola ac præcisa institutione huius sacramenti aut ex promissione speciali. Primum dici non potest: cur enim non posset Christus instituire hoc sacramentum, non conferendo illi hunc generalem effectum: aliud est n. loqui de Christo secundum

eundem se, aliud prout est in hoc sacramento: quantum ergo secundum se sit causa vniuersalis effectuum omnium sacramentorum, non necessario exercet illam causalitatem, prout est in hoc sacramento, nisi fortasse ratione existentia in rerum natura, siingeretur a libi non existere independentem à modo sacramentali, & à susceptione sacramenti, vel voto eius, vt iam explicabo. Neque etiam dici potest, secundum, scilicet hoc promerire ex speciali promissione Christi: oportet enim illum ostendere: nam in Script. non habetur, & Concilia, quæ sufficienter docent effectum & vtilitatem huius sacramenti, non faciunt mentionem huius vniuersalis causalitatis, quæ tamen maxime explicanda esset. Et Floren. dixit, conferre omnes effectus

*Can. Flor.* quos confert cibus, non v. quos confert generatio, auctio, consecratio seu Ordinatio, &c. non ergo licet ex proprio capite hoc confingere. Dices, Concilia dicere hoc sacramentum efficere vnionem cum Christo: & quia hæc vnio intrinsece includitur in effectibus omnium sacramentorum. ideo hoc sacramentum habere vniuersalem causalitatem in omnes illos: hac enim ratione appellari videtur Eucharistia à Diony. c. 3. de Ecc. hier. sacramentorum consummatio & perfectio. Sed hæc nullius momenti sunt: iam n. explicatum est, quomodo vnio ad Christum sit effectus huius sacramenti, sc. quoad perfectionem & conseruationem suam, nõ quoad cetera omnia. Quod satis explicuit eo loco Dion. non enim confundit effectus sacramentorum, nec Eucharistia tribuit aliorum effectus, sed dicit omnia comparari ad eucharistiam, sicut imperfectum ad perfectum. & ideo post cetera omnia adiungi Eucharistiam tanquam finem & complementum omnium.

Secundo principaliter refellitur hæc vniuersalis causalitas, quia vel effectus aliorum sacramentorum pendunt à Christo vt existente in hoc sacramento absolute ac præcise ratione præsentia sacramentalis, vel cum ordine ad vsum & manducationem sacramentalem futuram in eo, qui receptorum est talem effectum. Vtrumque autem est aperte falsum. Primum quidem, quia sequitur, si Christus non existeret: alicubi sacramentaliter (vt si in tota Ecclesia nulla esset hostia consecrata) alia sacramenta non posse conferre suos effectus: quia dicuntur pendere essentialiter à Christo sic existente. Quod si dicatur non esse dependentiam adeo essentialem ac necessariam, sed solum quod si Christus sic existit in hoc sacramento, ab illo pendebunt ceteri effectus. Contra hoc etiam est, quia saltem sequitur, quando cunque nunc ministratur baptisimus, vel penitentia aut aliud sacramentum, Christum vt in pyxide existentem concurrere physice ac realiter ad effectus talium sacramentorum: quod est contra omnes Theologos, & sine fundamento dictum aut necessitate. Nec facile dici poterit, ex quo loco vel sacramento concurrat, nisi fortasse quis dicat ex propinquiori, aut qd simile: quod eadem facilitate contemneretur, qua sine fundamento assertum fuerit. Quod si physice Christus non concurrat, non habet hic locum concursus moralis: quia secluso ordine ad manducationem vel vsum, quæ causalitas moralis fingi potest in hostia consecrata in altari existente, in ordine ad effectum baptisimi vel penitentia? Alterum autem membrum refellitur, quia hoc sacramentum concurrere ad effectus aliorum sacramentorum in ordine ad suum vsum nihil aliud esse potest, nisi quod hoc sacramentum, vt manducatum in re vel in voto effectus singulos cum singulis sacramentis efficiat; non enim potest hoc alio modo probabiliter explicari: neque hæcenus aliter explicatum est. Ex qua explicatione sequitur Confirmationem dare suum effectum in voto huius sacramenti, & similiter extremam Vnctionem, Matrimonium, &c. Ad hoc in primis est nouum & inauditum: deinde sequitur, vt hæc sacramenta conferant suos effectus, necessarium esse habere votum suscipiendi

Franc. Suarez Tom. 3.

Eucharistiam: taque si quis dum confirmatur, habeat propositum non communicandi amplius, non consequetur effectum Confirmationis, quia ille non habet votum explicitum Eucharistia, vt per se constat: nec implicitum, cum expresse proponat contrarium: consequens autem esse falsum, facile potest exemplis ostendi. Nam si quis morti proximus baptizetur, & statim Eucharistiam suscipiat, licet postea confirmetur, potest habere propositum non communicandi iterum: recipiet ergo effectum Confirmationis sine voto Eucharistia: idem nunc quotidie accidit in extrema vnctione, quoties aliquis sumit illam non amplius communicaturus: & de Matrimonio potest facile similis casus excogitari. Et ratio omnium est, quia nullum est præceptum suscipiendi eucharistiam post quodlibet sacramentum, quod sane necessarium esset, si Eucharistia esset vniuersalis causa omnium effectuum sacramentorum, aut cum omnibus concurreret in re vel in voto. Quod si quis fortasse respondeat, in prædictis casibus Eucharistiam prius susceptam concurrere ad effectum alterius sacramenti postea suscepti, non erit difficile, huiusmodi fugam in verbis potius, quam in re aliqua consentientem reijcere. Tum quia ille concursus nec est physicus, vt per se notum est: nec moralis, quia fieri potuit, vt Eucharistia prius suscepta nullum habuerit ordinem ad sacramentum postea suscipiendum: imo quod recepta fuerit sine animo, vel etiam cum proposito non suscipiendi aliud sacramentum: tum etiam, quia prior eucharistia susceptio mere per accidens se habet ad effectum sacramenti postea suscepti: nec est dispositio ad illum, neque ex institutione, aut aliunde potest verisimilis fieri huiusmodi concursus assertio, vt statim iterum dicam. Vnde tandem argumentor, ostendendo alteram partem supra positam: sc. hoc nihil pertinere ad pietatem, vel ad conciliandam deuotionem huic sacramento. Quia per hoc genus causalitatis vniuersalis in re ipsa nulla maior efficacia aut virtus tribuitur huic sacramento: nec in re datur maior obligatio suscipiendi illud, sed tota illa ponitur in quibusdam extrinsecis respectibus vel denominationibus, quæ nihil ad mores pertinent, neque ad dignitatem huius sacramenti, nec fundamentum aliquid habent in institutione. Quo circa si vera esset hæc causalitas, vt esset alicuius momenti, oporteret in primis, vt quotiescunque sacramentum aliud esset operaturum, suscipienda necessario esset Eucharistia. Deinde, vt deficiente alio sacramento, v.g. Confirmationis, vel extremæ vnctionis, Eucharistia, vt causa vniuersalis posset supplere proprium effectum eius. Denique, vt ex hac virtute manaret ad nos vel semper, vel aliquando aliqua maior utilitas, aut aliquis fructus. Nihil a horum conceditur huic sacramento propter hanc causalitatem vniuersalem, quam habere dicitur. Est ergo solum in verbis, quæ si vacua sint fructu, nihil possunt ad pietatem vel dignitatem sacramenti pertinere.

Quapropter, si in aliquo auctore graui interdum legatur eucharistiam esse veluti primarium fontem efficaciam omnium sacramentorum virtute continentem, id non est intelligendum per illam causalitatem vniuersalem, sed per eminentiam quandam, quæ in proprio & specifico effectu hoc diuinum sacramentum habet in perficiendis quodammodo effectibus sacramentorum omnium. Baptisimus enim nos in Christo regenerat, eiq; facit similes: hoc vero sacramentum nutrit & consummat illam vnionem, & speciali modo nos affigit Christo vt capiti nostro, & parenti optimo. Penitentia delet peccata post baptismum commissa: hoc vero sacramentum & interdum id facit, saltem per accidens, & illum effectum perficit eodem modo, quo effectum baptismi, & amplius purificat animam, tollendo venialia, minuendo fomitem, & præseruando à mortalibus. Confirmatio præbet robur fidei: hoc sacramentum etiam in hoc præbet auxiliū & munitio-

*Eucharistia in suo effectu proprio velut eminenter habet effectus aliorum sacramentorum.*

minera, vt hostibus fidei, & omnibus tentationibus resistat, vt frequenter Cypr. Chrys. alique Sancti docent, quos infra suo loco signabimus. Extrema vñtio tollit reliquias peccatorum, & in difficili mortis trāfitu homini confert auxilium, hoc sacramentū, quatenus viaticum est, suum proprium subsidium in eo transitu praestat. Item dum generat virgines, & reuerentiam ad Deum & amorem ad proximum cōciliat, quodammodo confert & ad effectum & finem sacramenti Ordinis, quo ministri Dei praeparantur, vt digni illi inferuiant: & ad Matrimonij perfectionē, quae in castitate coniugali & mutua beneuolentia consistit. Hæc ergo est generalis vtilitas huius diuini mysterij, propter quam merito dicitur consummatio sacramentorum omnium: non vero alia, quæ verbis asseritur, re tamen, neq; explicatur, nec fundari potest.

1. Conclusio.

D. Thom.  
Catalan.  
Sotus.

Tridentini.

Dico secundo, hoc sacramentum, nec paruulis nec adultis esse necessarium medium ad primam gratiā obtinendam. Hæc est sententia D. Thom. lect. 7. super 6. capit. Ioan. & infra hac 3. par. q. 80. vbi Caiet. ar. 11. eam recte docet, & Scotus d. 3. q. 1. ar. 3. & colligitur 1. ex Conc. Floren. & Trident. tribuentibus effectum remissionis peccati, & primæ gratiæ solis sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ: tenciunt ergo nullum aliud sacramentum nec in re, neq; in voto proprio, esse ad hunc effectum necessarium: alias non conferrent hæc sacramenta primam gratiam propria virtute: sed in virtute illius sacramenti, in cuius voto illam tribuerent: sicut Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. & 4. negat, contritionem sua virtute remittere peccatum, sed virtute sacramenti Pœnitentiæ, cuius votum includit. Secundo probatur conclusio ex præcedentis, quia sacramentum tantum potest esse medium necessarium ad obtinendum proprium effectum, propter quem tale sacramentum est institutum: quia causa non sunt necessaria: propter effectum per accidens, sed per se: ostensum est autem, sacramentum Eucharistiæ nō esse institutum ad dandam primam gratiam, aut remissionem peccati originalis, vel mortalis, nec per modum causæ propriæ vt euidenter probant prædicta Concilia, nec per modum causæ vniuersalis, vt satis probatum est, ergo nullo modo. Tertio, quia in sacramentis nunquam reperitur necessitas medijs ad aliquem effectum ad salutem necessarium, nisi simul concurrat necessitas præcepti iuxta capacitatem eius, cui talis necessitas imminet: nam si ille sit paruulus, cadit in Ecclesiam, vel eos, qui illius curā habent. Quod facile potest exemplis probari in Baptismo & Pœnitentiā. Et ratio est, quia hæc media non sunt ex natura sua necessaria: ergo non possunt fieri necessaria, nisi adiuncta lege: nam si nulla sit lex, poterunt sine peccato omitti, & consequenter non erunt necessaria. Quæ ratio maxime procedit, in adultis: suam tamen vim habet in paruulis, quia sicut per alios reguntur, ita expedit vt de reb. ad salutem necessarijs, saltem per alios, diuina lege ac præcepto regantur. Iam vero de susceptione Eucharistiæ, nullum est datum præceptum à Christo hoc speciali titulo, sc. propter gratiam primam obtinendam: ergo ad hunc finem non est medium necessarium. Minor explicatur primo in paruulis: nam certum de fide est, non habere Ecclesiam præceptum à Christo dandi illis Eucharistiā, antequam moriantur: quod mihi sane est signum euidentis illis non esse Eucharistiā medium necessarium ad primam gratiam, vel primam gloriam obtinendam. Dices, argumentum probat Eucharistiā in re susceptam non esse mediū necessarium, non vero Eucharistiā in voto, de quo iam datum est præceptum, cum datum est præceptū baptizandi hos paruulos, antequam moriantur. Sed hoc nihil est: nam præceptum de medio necessario, per se loquendo, non est de voto, sed de reali vsu si adhiberi possit: neque vnquam medium necessarium potest omnino & per totum tempus vitæ in re omitti, si accipi potest, alias nulla est necessitas rei, sed vt

Obiectio.

Dilatatio.

tantum. Et ita reuera in presenti solus baptismus dicitur necessarius, & de illo solo paruulis dando est præceptum. Reliqua omnia dicuntur per metaphoram, neq; aliqua additur necessitas huius sacramenti, quæ re ipsa aliquid addat.

Deinde euidentius id probatur de adultis: nam si, licet verum sit, esse præceptum diuinum communicandi: aliquando tamen quod hoc præceptum non sit datum propter primam gratiam obtinendam, illud argumentum aperte conuincit, quod si adultus tempore dubio impleuit illud præceptum ante mortem, licet postea indigeat prima gratia, & medijs ad illam recuperandam, non propterea tenetur communicare, vt si verbi gratia, post viaticum acceptum mortaliter peccauit: tenetur quidem iterum confiteri, etiā si eodem die accidat, illum peccare, & eodem censetur moriturus, non tamen tenetur communicare iterum, vnde potest habere expressam voluntatem non communicandi amplius: ergo signum est, Eucharistiā non esse medium necessarium ad illam gratiam primam, nec in re, nec in voto, quia neutro modo accipitur, cum talis homo expressam habeat contrariam voluntatem. Dices dari eā primam gratiam inuitu prioris communionis. Sed hoc non est probabile: quia iam prior communio habuit effectum suū, nec sacramenta habent effectum circa peccata postea commissa, alioqui damus causam hæreticis asserentibus peccata post baptismum commissa remitti per baptismum prius susceptum. Dici potest, saltem debere habere conditionatam voluntatem iterum communicandi, si superuixerit, vel si periculum illud euaserit: & hoc satis esse ad votum. Sed hoc nullius momenti est, quia medium necessarium debet re ipsa suscipi potest commode: vnde illa conditionalis est imperitens, quia illud propositum conditionatum non est propter presentem effectum, sed propter implendū præceptum, quod postea obligabit. Quare aliqui consequenter loquendo dicunt, per se loquendo teneri peccatorem in casu iterum communicare, si possit sine vilo inconuenienti vel scandalo, regulariter tamen excusari, propter moralia incommoda, scilicet scandalum, nimiam frequentiam viatici præter Ecclesiae consuetudinem, & cum probabili suspitione manifestandi suum delictum. Sed hoc ipsum satis ostendit, quam parum sit probabilis contraria sententia, cum cogatur ponere præceptum, quod nec seruari potest, nec ab vilo graui Doctore, vno vel altero Summis ita excepto, admittitur, vt latius infra in proprio loco dicam. Vnde, qua facilitate asseritur, contemnitur, quia præcepta, nisi probentur, admittenda non sunt, nedum si absqueratione vel autoritate asserantur. Adde deinde, si verum esset hoc præceptum, ac vera hæc necessitas medijs, non debuisset moraliter & secundum rectam rationem reputari incommoda illa, quæ proponuntur: potius enim debuisset in Ecclesia introduci consuetudo dandi semper Eucharistiā simul cum sacramento confessionis, præsertim in periculo mortis: & quoties vnū sacramentum reperitur, deberet repeti alterum sine admiratione vel scandalo, propter summam illius articuli necessitatem. Quin potius addo iuxta hanc sententiam, si consequenter loquatur, sequi dari hoc præceptum in eo casu, non solum si peccatum mortale intercedat, sed etiam sine illo, hoc solum, quod agrotus vult iterum consequi gratiam Pœnitentiæ. Quod ita declaro: si prima gratia sacramenti Pœnitentiæ datur per votum Eucharistiæ, ergo quoties datur sacramentalis gratia Pœnitentiæ datur ex eodem voto Eucharistiæ: patet consequentia, tum quia dicitur Eucharistiā esse causā vniuersalis omnium effectum sacramentum, tum etiam quia omnis gratia, quæ per sacramentum pœnitentiæ confertur, de se est remissiuā mortalis culpæ: si enim saluatur veritas formæ & per accidens est, q; in hoc subiecto reperitur peccatū mortale, & ideo illa gratia non fit prima, neque,

neque actu tollat maculam peccati: ergo semper illa gratia includit ordinem ad Eucharistiam & votum eius: ergo quotiescumque quis confitetur, tenetur habere votum Eucharistiae saltem implicite: ergo & tenetur tunc non habere expressum propositum contrarium, & postea implere in re ipsa susceptione Eucharistiae, si potest. Est ergo ficta & gratis allerta tota haec necessitas.

Ad fundamentum contrariae sententiae, quod attinet ad locum Ioan. 6. et si concedamus omnia, quae ibi assumuntur, nihil efficitur: quia verbum illud, Non habebitis vitam in vobis, non significat necessitatem huius sacramenti ad obtinendam primam gratiam: sed ad summum, ad retinendam & conservandam: recte non exponitur, non habebitis vitam, id est, non retinebitis, nec conservabitis vitam, vt i. Ioan. 3. dicitur, Omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem; i. perdet illam. Quomodo vero sit necessaria Eucharistia ad conservandam gratiam, & quid veritatis habeant reliqua, quae in illo fundamento dicuntur, dicemus sectione sequenti, D. Th. testimonia etiam explicabimus. Ad confirmationem iam ostensum est, male ibi citari & exponi Concilium Florentinum, cuius verum sensum iam aperuimus.

SECTIO II.

An hoc sacramentum necessarium medium sit ad perseverandum in gratia, usque ad gloriae consecutionem.

¶ Eretici quidam dixerunt, realem susceptionem Eucharistiae esse omnibus hominibus necessariam medium ad salutem: in quo errore versati sunt Armeni, qui propterea simul cum baptismo Eucharistiam paruulis dabant, vt ex Guid. Carmel. refert Vvaldes. tom. 2. de sacr. cap. 91. Eundem errorem tribuit Graecis Iacobitis & Nestorianis. Prateol. lib. 3. cap. 15. lib. 9. cap. 2. lib. 12. cap. 4. & ex hoc errore videtur profectus aduultus eorum, qui vel post mortem dabant Eucharistiam hominibus iam defunctis, vt colligitur ex VI. Synodo, Can. 83. Trullana, & in Conc. Altifod. c. 12. & Conc. Carth. III. c. 6. quibus locis hic abusus damnatur. Ex Catholicis vero quidam dixerunt, Eucharistiam esse medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad mortem, non quidem in re susceptam, sed in re vel in voto, & putatur esse sententia D. Th. hic, & infra q. 79. art. 1. ad 1. & q. 80. art. 11. ad 1, quibus locis generatim de paruulis & adultis loquitur. Et in hanc sententiam videtur inclinare Pet. Soto, lect. 9. de Eucharistia, dicens, non secus esse necessariam Eucharistiam ad vitam spiritualem, quam cibum ad corporalem: idem significant: Claudius reperet. 6. cap. 7. Spencæus lib. 2. de adorat. Eucharist. c. 12. Rosensis lib. 5. contra Oecolampadium in proemio. Iacobus Nachan. tra. de commu. theorem. 1. Sed hi aut theores, si attente legantur, fere omnes loquuntur de necessitate praecipri: & votum suscipiendi Eucharistiam non aliter requirunt, quam propositum seruandi omnia praecipra: Citantur etiam Holius, Soto, Ledesma, & alij, non tamen fideliter.

Fundamentum harum sententiarum sumitur ex citatis verbis Ioan. 6. quae, vt ostendimus, necessitatem medij indicant ad spiritualem vitam, non inchoandam, vt diximus, ergo saltem conservandam. Hic enim effectus ibi huic sacramento tribuitur, tanquam propriae & vnicæ causae illius, vt ex illis etiam verbis patet, Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuat propter me. Vbi significatur, sicut Pater est vnicum & necessarium principium Filij, ita vnicum principium seu medium ad spiritualem vitam conservandam, esse hoc sacramentum. Vnde Cyril. lib. 10. in Ioan. c. 13. de hoc sacramento loquens, inquit, Non poterat aliter corruptibilis haec natura corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vita corporis ei coniungeretur: vbi significat hoc sacramentum esse necessarium ad vitam aeternam comparandam, quod aper-

te docet etiam Basilius in moralib. reg. 21. ita intelligens locum Ioan. 6. & Aug. epist. 121. ad Probam. c. 11. S. August. & alij, quos referemus latius infra agentes de effectu huius sacramenti.

Secundo argumentor ratione, quia sicut remissio peccati & prima gratia est res necessaria ad salutem, ita etiam perseverantia in gratia, seu gratia finalis, ergo sicut ad dandam vel reparandam primam gratiam instituta sunt sacramenta baptismi & penitentiae, ita ad dandam perseverantiam, seu gratiam finalem institui debuit aliud sacramentum, quod non potest esse aliud, nisi Eucharistia: quae sicut nobilissimum est sacramentum, ita propter effectum perfectissimum institui debuit: est ergo ad hunc effectum necessaria. Terrio argumentor ex metaphora cibi, vt enim dixit Concil. Flor. hoc sacramentum proportionem seruata praestat animae omnia illa, quae cibis corporalis tribuit corpori: ideo enim sub forma cibi institutum est, sicut ergo corporalis cibus ad corporis conseruationem, & praeseruationem a morbo necessarius est, ita hoc sacramentum est simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia usque ad finem.

In hac re dicendum est primo, realem susceptionem huius sacramenti non esse medium simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia, vel obtinendam beatitudinem. Haec conclusio est de fide, vt colligitur aperte ex Trident. sess. 21. c. & Can. 4. & ex August. epi. 23. circa finem, & lib. 1. de peccatorum meritis, c. 20. & lib. 3. c. 4. & l. 1. contra Iulianum, & ser. 11. de verbis Domini, Fulgentio de fide ad Petrum, c. 30. Beda super 1. ad Cor. 10. vbi citat Aug. Hom. ad infantes. Qui docent, si paruulus moriatur cum solo baptismo, conse qui aeternam beatitudinem, & est per se euident, suppositis his principiis fidei: primum est, Baptismum conferre paruulis veram iustitiam: secundum, infantes non esse capaces peccati in ea aetate: tertium gratiam non posse amitti, nisi per mortale peccatum: quartum, quod ex his sequitur, eum, qui semel gratiam obtinet, si usque ad mortem non peccet, consequi gloriam. Ex his enim euidenter fit, si baptizatus infans in ea aetate moriatur absque reali in ducatione huius sacramenti, vt experientia docet saepe accidere, illi consequi aeternam beatitudinem: & consequenter hoc sacramentum re ipsa susceptum, non esse illi medium necessarium ad salutem. Quae ratio eandem efficaciam habet in adulto, qui post Baptismum mortaliter non peccat: & absque sua culpa sine hoc sacramento decedit: nam sine vlla dubitatione saluus erit, iuxta illud Matth. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quinimo constat ex doctrina huius, adultum sine vilo prioris sacramento re ipsa suscepto, per solam contritionem posse saluari, vt tractando de Baptismo & Penitentia latius ostenditur.

Dico secundo, sacramentum Eucharistiae non esse paruulis medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad finem, neque in re, neque proprie in voto susceptum. Hoc bene docuit Caieta. infra, q. 80. art. 12. & alij authores infra citandi. Et primo non obscure colligitur ex Trident. sess. 21. cap. & Can. 4. dicente, Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit. Quamquam enim de reali communionem loquatur, tamen si Eucharistia esset illis medium necessarium, non esset simpliciter neganda eius necessitas: imo nec Ecclesia debuisset negare paruulis hoc sacramentum, saltem instantane eorum morte, quod tamen facit, & merito, vt q. 80. ostendimus. Secundo probatur ratione, quia sacramentum non est medium necessarium ad salutem, nisi sit institutum ad dandum aliquem effectum necessarium ad salutem, cuius per se loquendo debeat esse causa vnicæ, quia si non sit causa per se, non erit magis necessarius usus talis sacramenti, quam alij actus religionis, qui sunt in praecipro: Et si non sit causa vnicæ, non erit necessaria, quia per aliam obtineri poterit talis effe-



ctus, sic enim dici non potest Eucharistia medium necessarium ad remissionem venialium peccatorum, quia sunt etiam aliae causae, quae per se possunt hoc praestare. Sed nullus effectus gratiae necessarius ad salutem, fit in parvulo, cuius per se & adequata causa fit Eucharistia: ergo non est illi medium necessarium. Probatur minor: quia in parvulis solum est prima gratia remittens originale peccatum, & cum hac saluantur, si ante usum rationis decedant. Dices, hanc gratiam conservari in illis usque ad mortem, & hunc esse effectum gratiae, quem non confert Baptismus propria virtute, sed in virtute Eucharistiae cuius est votum. Unde ad hunc effectum dandum potest dici per se infusa Eucharistia, tanquam unica causa illius. Sed hoc non satis considerate dictum est: duo enim possunt in gratiae conservatione intelligi. Primum est physicus influxus Dei, quo gratiam conservat, & hic effectus praecise sumptus non confertur ratione alterius sacramenti, quam illius, quo ipsa met prima gratia collata est: tum quia quasi ex natura rei debetur ipsi gratiae, non solum ex parte Dei, cuius dona sunt sine poenitentia, sed etiam ex parte ipsius gratiae, quae conservari potest, quam diu a contrario non expellitur: destrui enim per solum suspensionem influxus divini non est naturae rerum consentaneum: tum etiam, quia gratia data per Baptismum, non est de se minus stabilis, quam alia gratia per meritum, vel aliam dispositionem comparata, cum per Baptismum perfecte applicetur meritum Christi ad salutem: sed omnia alia gratia, quae vel olim per circumcisionem, vel per aliam dispositionem dabatur, vel quae nunc comparatur per meritum est de se perpetua, & ex vi primae infusionis semper conservatur, si homo non ponat impedimentum peccati: ergo multo magis idem dicendum est de prima gratia baptismali: haec ergo conservatio ut sic, non est effectus alterius sacramenti. Et idem dicendum est sine vilo dubio de augmento gratiae, quod per alia sacramenta confertur. Qui vero dicunt, omnes effectus sacramentorum esse ab hoc sacramento, ut ab universali fonte, respondere poterunt, gratiam baptismalem per votum huius sacramenti conservari, sicut a principio data est. Tamen haec responsio tam falsa est, quam est improbable fundamentum illud, quo nititur de universali causalitate, ut ostensum est. Alterum, quod in gratiae conservatione potest intelligi, est speciale auxilium gratiae, quo remouentur peccata, quae possent gratiam corrumpere, & hic quidem specialis effectus est, & magnum gratiae donum, sed infantes neque illo indigent, neque pro illo statu sunt capaces illius: & ideo propter conservationem gratiae in hoc sensu explicatam non potest parvulis esse necessaria Eucharistia, ergo nullo modo est necessaria.

*Eiusse*

*Impugnatio.*

At vero dicit aliquis, gratiam parvulorum considerari posse, vel tantum ut primam & remissionem originalem peccati, & ut sic esse effectum solum baptismi, vel ut gratiam finalem, & ut sic, esse effectum Eucharistiae in voto contentam in ipso baptismo. Sed haec fuga eodem fere modo expeditur: nam gratia finalis supra gratiam ipsam solum addit conservationem gratiae usque ad finem vitae. Dices, hoc ipsum, scilicet mori in gratia, est donum Dei ex aeterna sua predestinatione proveniens, distinctum sine dubio a conservatione gratiae ut sic, posset enim conservari gratia toto illo tempore, quantum in eo non finiretur vita infantis. Ergo mori eo tempore speciale donum est, iuxta illud Sap. 4. Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius. Et hoc donum non est effectus Baptismi: nam Baptismus eisdem effectus habet in omnibus parvulis. Erat ergo effectus sacramenti Eucharistiae. Respondetur, verum quidem esse, posse hunc effectum reuocari ad donum perseverantiae, ex speciali Dei electione proveniens: verum etiam esse, hunc non esse effectum Baptismi, ut ratio facta concludit. Dico

tamen, eadem ratione, evidentius concludi hunc non esse effectum Eucharistiae: quia non datur omnibus parvulis: nam si parvuli per Baptismum recipiunt Eucharistiam in voto, & per hoc votum recipiunt aliquem effectum gratiae, qui Eucharistiae specialiter tribuendus sit, omnes aequales, & eisdem effectus recipient, quia omnes sunt aequae dispositi, & habent aequale votum & sacramentum: ergo aequalem effectum: constat enim ex communi & certa doctrina, sacramentum habere aequalem effectum in subiecto aequae disposito, praesertim loquendo de effectu gratiae necessario ad salutem: qualis est mori in gratia. Quod argumentum concludit saltem de illis parvulis, qui, si non decedant in infantia, extra gratiam sint morituri. Sunt, qui dicant posse hunc effectum esse sacramentalem, & tamen non omnibus dari, etiam si aequae dispositi sint, & non magis ponant impedimentum hi, quam illi: sed quam sit hoc falsum, & principis fidei repugnans, ostendam sequenti assertione. Et confirmatur, nam praeterquam quod gratis & sine fundamento tribuitur hic effectus Eucharistiae: respectu parvulorum, inuoluit quandam repugnantiam. Quomodo enim intelligi potest, ut ex voto aliquis sacramenti detur aliquis effectus directe repugnans cum reali susceptione talis sacramenti? Ut si quis diceret per Matrimonium in voto dari auxilium ad seruandam virginitatem, vel proficendam religionem: tale enim est dicere per Eucharistiam in voto dari alicui ut moriatur, antequam sit capax suscipiendi Eucharistiam, loquor enim de parvulo baptizato, qui moritur antequam naturaliter possit comedere.

Tertio argumentor ex metaphora cibi. Quis enim dicat cibum esse necessarium illi, qui nec nutririi potest, nec augeri, nec minui, nec contrariam aliquam actionem pati: talis enim est parvulus in eo statu: quoad spirituales vitam: quia in ea nec nutririi potest, nec augeri, neque ab vilo contrario aliquid pati: aut quis etiam dicat cibum seu desiderium cibi esse alicui necessarium, antequam tali cibo indigeat, vel illius sit capax? perinde enim est dicere dari parvulis, qui moriuntur in sola gratia baptismali, ratione Eucharistiae, ut moriantur antequam manducatione Eucharistiae indigeant, vel etiam antequam illius capaces exsistant.

Dico ergo tertio, Eucharistiam in re aut voto proprio non esse medium necessarium ad uitam, ad perseverandum in gratia, & consequendam gloriam. Hanc conclusionem necessario docent illi Theologi, qui negant esse impositum diuinum praecceptum, delenda Eucharistia. Nam ablata necessitate praeccepti in praesenti materia, necessitate etiam mediis tolli necesse est. Sed haec sententia falsa est, ut latius q. 80. dicam. Supposita ergo necessitate praeccepti, docuit haec sententiam expresse D. Tho. q. 65. a. 4. vbi inquit, tantum tria sacramenta esse simpliciter necessaria necessitate finis: duo quidem singulis personis, scilicet baptismum absolute, & poenitentiam ex suppositione peccati mortalis post baptismum: Tertium vero respectu corporis Ecclesiae. De reliquis autem omnibus negat esse necessaria necessitate finis. Dicunt aliqui D. Thom. de reali sumptione sacramenti loquentem esse: sed non recte: nam hoc modo etiam baptismus, & poenitentia non sunt necessaria simpliciter. Aliiter dici potest D. Thom. loqui de necessitate ad obtinendam primam gratiam, sed hoc etiam est contra mentem eius: nam generatim loquitur de necessitate sacramentorum. Unde de aliis dicit esse necessaria ad melius, & convenientius consequendum finem: cum tamen ad primam gratiam obtinendam, neque isto modo possint dici necessaria, si proprie loquamur. Idem docet 4. d. 9. q. 1. art. 1. quaest. 2. Durand. ibi. q. 2. Palud. q. 1. num. 6. Caiet. hic, qui hoc sensu exponit D. Tho. Soto d. 8. art. 3. clarius d. 12. q. 1. art. 11. Le. def. q. 14. ar. 3. Hofius lib. 3. contra Brentium aliquantulum a principio.

Et probatur

Et probatur primo autoritate negatiua Conciliorum & Patrum, que argumentandi ratio, licet alias inirma esse videatur, tamen in doctrina tradenda de rebus multis, in qua de singulis docentur, que illis conueniunt, & aliquid affirmatur de quibusdam, quod taceatur de aliis, satis probabile argumentum sumitur, quia illud silentium est implicita quedam negatio, & particularis affirmatio, & quasi exceptio, que firmare solet regulam: vt quod vni singulariter conceditur, aliis negari intelligatur. Patres ergo & Concilia, licet de presenti quaestione, nihil in terminis asserere videantur, vbicumq; tamen de necessitate sacramentorum differunt, baptismum & penitentiam dicunt esse necessaria, non tamen Eucharistiam. Quod presertim notari potest in Con. Trid. disputis enim sessio. 2. de Baptismo, Can. 5. definit esse necessarium ad salutem: & eodem modo loquitur de penitentia, sessio. 14. Can. 6. in sess. vero 13. agens de sacramento Eucharistia, nullam necessitatem illi tribuit, prater necessitatem precepti, quam Can. 9. explicat. Huc facit etiam quod Melchias Papa epist. ad Episcopos Hispania. c. 2. & habetur in c. Sp. S. de Consec. d. 5. inquit, statim morituris regenerationis beneficia sufficere ad salutem, quia regeneratio per se saluat mox in pace beati saculi recipiendos: vbi ponderandum est verbum illud (per se) ex illo enim colligi potest, nullum effectum conferri in voto alterius sacramenti, qui ad salutem necessarius sit.

Vnde argumentor secundo ratione, quia Eucharistia non est per se, & vnica causa alicuius effectus gratia, necessarii simpliciter, vt adultus consequatur salutem: ergo non est illi medium necessarium ad salutem: conuenientia patet ex dictis in precedenti conuisione: antecedens vero probatur: nam, vt ex dictis ibidem constat: si aliquis esset talis effectus, maxime esset perseuerantie donum, & auxilium, quo a peccatis mortalibus preseruumur, quod maxime necessarium est adulto post primam gratiam obtentam, ad consequendam gloriam. Et hunc effectum videtur tribuere huic sacramento Concil. Trid. sess. 13. c. 2. sed vel hic effectus necessarius non est, vel prout est necessarius, ad illum non est necessaria Eucharistia. Quod ita declaro: Et in primis, necessarium non est ad consequendam gloriam, tale perseuerantie donum, quod datur homini, ne vnquam peccet mortaliter post baptismum, vel penitentiam semel susceptam: quia potest lapsus cadere & resurgere, actandem saluari. Solum ergo est ad vitam æternam necessarium, vt homo perueniat ad finem vitæ in aliqua gratia: atque adeo vt aliquam primam gratiam in hac vita receperit, vsque ad exitum ex hac vita retineat & conferret: quod si fit per longum tempus, necessarium est singulare donum gratia excitantis, & adiuuantis, vt homo ita perseueret: si ergo tempus sit breue, includens tamen terminum vitæ, sufficit tale genus auxilij, quod datur homini, vt conuertatur & moriatur in gratia: vt ex materiis de gratia, & de prædestinatione suppono. Quando ergo dicitur, perseuerantia esse effectum huius sacramenti, duo possunt intelligi: Primum est, abundantius auxilium excitans & adiuuans, quo præuenitur homo, & à Deo protegatur, ne cadat. Et hic sensus est verus: nam hoc auxilium datur per hoc sacramentum: tamen ratione illius non potest dici medium necessarium. Primo, quia per hoc sacramentum non datur, vt illud auxilium ita elargiatur, vt infallibiliter habeat effectum, quod statim probabo, & hoc esset potissime necessarium ad salutem: & hoc secluso, illud auxilium non est simpliciter necessarium: quia si homo in gratia moriatur, id satis est ad salutem: potest autem in gratia mori sine his auxiliis, cadendo & resurgendo, actandem in fine vitæ breui tempore gratiam cõseruando. Secundo, quia hoc sacramentum non est simpliciter necessarium ad hunc effectum: nam licet Concil. Trident. dicat, per hoc sacramentum dari auxilium, quo à mortalibus pecca-

ris preseruemur: non tamen dicit hunc effectum dari per solam Eucharistiam, neque id potest alia autoritate, vel probabili ratione ostendi: nam simul, & eodem tenore verborum dixit ibi Concilium: hoc sacramentum esse antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, id est, venialibus, & tamen non inde fit, per solum hoc sacramentum venialia remitti. Est etiam aliud exemplum: nam per Confirmationem datur auxilium gratia ad contendam fidem, & resistendum contrariis: & tamen non propterea est medium necessarium ad hunc effectum: nam qui non est confirmatus, si, quod in se est, faciat, obtinebit auxilium sufficiens ad talem actum: non in voto Confirmationis, quod potest fortasse non habere, (maxime si verum est, illud sacramentum non cadere sub diuino precepto) sed per orationem, vel aliam bonam dispositionem tuam: ergo similiter, licet illud auxilium detur per Eucharistiam, poterit sine illa per alia media obtineri.

Dicent fortasse, posse quidem hæc auxilia obtineri per alia opera, & merita operantis, sed non sine voto Eucharistia. Sed hoc facile potest refutari eisdem fere rationibus, quibus hæcenus vsi sumus. Prima, quia nulla autoritate fundatur hic modus conferendi hunc effectum. Secunda, quia hæc merita habent locum etiam eo tempore, quo iam nulla est necessitas, nec voluntas suscipiendi amplius Eucharistiam, & tunc iam non possunt dici includere votum Eucharistia: nec vero habere effectum, ratione precedentis communionis, quia iam illa habuit suum integrum effectum, vt supponitur. Tertia, quia effectus sacramentorum proprie habent locum in his donis, quæ gratis dantur, saltem sine merito de iustitia: & quæ non sunt omnino debita, veluti ex natura rei, & ideo in prima iustificatione peccatoris, habuit optime locum collatio gratia in voto sacramenti. At vero hæc auxilia possunt obtineri per propria merita de condigno, & de iustitia, & sunt debita ex intrinseca natura gratia, & iustitia ob charitatem operantis. Et ideo non oportuit, nec decuit ad hunc effectum requirere votum sacramenti. Quarta, quia alias omne gratia augmentum, quod per merita consequimur, ac denique omnia gratia beneficia, quæ in hac vita hominibus conferuntur, possent eadem facilitate tribui voto huius sacramenti: quod satis est per se absurdum.

Alio modo potest explicari hic effectus: de illo speciali auxilio, seu providentia gratia, per quam datur homini, vt pro aliquo tempore vitæ perseueret in gratia, vitando omnia peccata mortalia vsque ad mortem. Et hic sensus esset necessarius ad saluandam necessitatem mediij in Eucharistia, est tamen falsus. Primo, quia si hic esset effectus per se huius sacramenti, esset infallibilis, saltem in eo, qui digne vel cum certa aliqua dispositione susciperet hoc sacramentum, hoc autem est plane falsum: nullus enim, quacunque deuotione aut dispositione Eucharistiam suscipiat, potest ideo esse certus de sua æterna salute, seu de perseuerantia in gratia vsque ad finem vitæ, etiam si esset certus de sua dispositione, neque vllus vnquam Catholicus Doctor talem effectum tribuit huic sacramento: neque habet aliquod fundamentum in Concilio, vel Scripturis: nam licet Ioan. 6. dicatur, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, semper in his promissionibus subintelligitur conditio, scilicet, quod est ex parte sacramenti, & si homo impedimentum non ponat, vel alia via amittat vitam, quam sacramentum confert. Alioquin si promissio esset absoluta, quicumq; semel susciperet hoc sacramentum, haberet infallibilem consecutionem vitæ æternæ: quod tamen dicere plane est hæreticum. Neque oportet distinguere inter ordinarium vsum huius sacramenti, ad illum specialem vsum, quod in fine vitæ per modum viatici sumitur: quia facta ratio æque de omnibus procedit: presertim quia ipsum sacramentum de se non habet plures effectus in illo articulo, si suscipien-

Euafo.

Refutatio.

Euafo al-  
tera.Impugna-  
tio.

Ioan. 6.

et dicitur.

is dispositio aequalis sit. Ac denique plus esset, quam temerarium & erroneum dicere, eum, qui in graui morbo viaticum digne suscipit, hoc ipso manere confirmatum in gratia, aut cum tali perseverantia dono vt infallibile sit, illum fore saluandum.

*Eiusio.*

Responderi potest, hunc effectum non esse infallibilem, etiam si sacramentum dignissime suscipiatur: quia semper potest homo postea ponere impedimentum, quia in iis effectibus, qui non statim dantur, cum suscipitur sacramentum, sed postea opportuno tempore, fieri potest, vt digne suscipiatur sacramentum, & postea non detur effectus propter superueniens impedimentum. Sed licet hoc in aliis effectibus possit habere locum, non tamen in hoc, de quo agimus, quia in ratione intrinseca huius effectus includitur, vt per ipsum tollatur omne impedimentum: nam hoc est esse infallibile perseverantia donum, ita praeveneri hominem vt infallibile sit, ipsum non adhibiturum impedimentum, quo minus certissime perseveret: ergo hoc ipso, quod homo permittitur ponere impedimentum, non datur illi hic effectus. Confirmatur hoc, & declaratur, quia dupliciter possumus intelligere effectum sacramenti esse infallibilem, seu promissum. Primo, absolute & sine conditione aliqua: & hoc modo secundum fidem nullus effectus gratiae sanctificationis est promissus omnibus digne suscipientibus, vt ostensum est. Secundo, sub conditione aliqua, quae dupliciter intelligi potest. Primo, si digne susceperis: & haec non sufficit in praesenti, vt a me probatum est, & in praedicta responsione supponitur. Secundo, si post dignam susceptionem obex seu impedimentum non ponatur: seu si homo, quod in se est, fecerit, ad illud donum consequendum. Et hanc conditionem repugnat requiri ad illud donum obtinendum, quia tale est, vt ad illud nulla humana dispositio sufficiat, quae ab ipsa actuali perseverantia distinguatur, eamque antecedar. Et quod in ipsa actuali perseverantia non im-pediatur, non est quid praevium, aut requisitum ad hoc donum, sed est effectus ipsius doni, tale enim est, vt eo tempore ac opportunitate detur, quo scit Deus hominem non impediretur, sed vocationi responderetur. Repugnat ergo cum propria ac singulari ratione talis doni, quod quibusdam detur ratione sacramenti, aliis vero in ipsa susceptione sacramenti aequae dispositionis negetur, quia impedimentum ponunt: non enim imponerent, si Deus illo dono eos praeveneret: & alii ponerent, nisi eos praeveneret. Vnde valde diversum est loqui, aut de actuali perseverantia, aut de speciali illo dono, quod ad perseverandum datur: nam de actuali perseverantia verissime dicitur, non dari homini, quia homo ponit impedimentum: nam in hoc non est sermo de auxilio antecedente, sed de concomitante, & actualiter efficaci: at vero de illo dono antecedente, dato ex proposito, & efficaci electione Dei, cui datur, ex electione datur: & cui non datur, ex electione seu libero arbitrio Dei negatur, non ex aliquo impedimento speciali.

*Alia eiusio.*

Dicit fortasse aliquis, hunc esse effectum huius sacramenti, non quia infallibiliter detur omnibus digne vel cum certa aliqua dispositione suscipientibus hoc sacramentum, sed quia, licet ex altitudine divini consilii & arbitrii quibusdam detur, & non aliis: quibus tamen datur, propter hoc sacramentum datur. Sed

*Responsum.*

haec responsio apertam inuoluit repugnantiam, & destruit propriam rationem effectus sacramentalis, fundatur enim huiusmodi effectus in divina promissione, qua posita, non intelligitur effectus sacramenti pendere ex solo arbitrio diuino, sed potius intelligendum est sacramentum tanquam causa per se efficax & naturaliter agens, in subiecto disposito. Repugnat ergo, sacramentalem effectum non esse infallibilem, ablato obice: aut dari vni, & non alteri, habenti aequali dispositionem. Vnde Con. Trid. sess.

*Con. Trid.*

7. can. 7. sic absolute definit: Si quis dixerit, non dari

gratiam per huiusmodi sacramenta, semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, &c. vbi, licet in genere de sacramentis & de gratia loquatur, retamen vera sermo Concilij est doctrinalis & vniuersalis. Vnde de de omni sacramento & de quacumque gratia sacramentali vniuersi sacramento respondente accommodare intelligitur: praesertim quia Concilium in eo sensu loquitur, quo solent Theologi loqui in hac materia, quorum haec est communis sententia & consensus. Et ratio etiam insinuat eam euidens: quia si effectus pendet ex solo arbitrio Dei, etiam supposita institutione & promissione, nulla potest intelligi promissio talis effectus, neque absoluta, neque conditionata: quia per promissionem fit infallibilis effectus, vel simpliciter vel posita conditione: & consequenter non pendet ex solo arbitrio in sensu composito: si vero nulla intercedit promissio, non potest sacramentum esse causa talis effectus: quia sacramentum non est causa, nisi supposito pacto & promissione. Nisi fortasse quis dicat, promissionem esse huiusmodi conferendi talem effectum, per tale sacramentum, non semper, sed quando Deus voluerit illum efficere. Sed haec responsio non est contra sensum Doctorum omnium: & praeterea tollit omnem certitudinem in effectibus sacramentorum, etiam si homo faceret, quantum in se esset ad illos suscipiendos: quod est aperte contra definitionem Con. Trid. & contra totius Ecclesiae sensum, & contra vim verborum sacrae Scripturae, in quibus haec promissiones continentur: videtur etiam contra veram rationem promissionis, qualis enim est promissio sub conditione, si promittenti libuerit eam implere? Denique in omnibus aliis sacramentis effectus gratiae semper sunt hoc modo infallibiles, qui pertinent ad bonitatem simpliciter: quod ideo dicitur: quia in extrema vntione sanitas corporis non est effectus ita infallibilis, quia non pertinet ad bonum simpliciter, nec semper homini conueniens est in ordine ad bonum animae: sub hac tamen conditione, id est, si ita expediat suscipi, etiam est infallibilis effectus. Addo, falso & sine fundamento dicit, quibuscumque datur hic effectus dari ratione Eucharistiae in re, vel in voto: interdum enim dari potest, vel ex merito de congruo, vel ex Dei arbitrio, propter solum meritum Christi, sine ordine ad illum sacramentum, vt ostendi potest argumentis supra factis, & exemplo illo de homine, quia post viaticum receptum, peccet mortaliter, & deinde conteratur vel confiteatur, & sic moriatur in gratia: ille enim recipit hoc donum & beneficium finalis gratiae: non propter Eucharistiam prius susceptam, quia post illam peccauit mortaliter, & fortasse ipsammet Eucharistiam indigne suscepit: neque in voto Eucharistiae sumenda, quia reuera iterum sumenda non est, neque ille homo tenetur amplius communicare: vnde non habet votum Eucharistiae, sed potius potest habere propositum conterarium, ergo. Denique hoc donum gratiae, quod confertur adulto iustificato, vt in gratia decedat supra remissionem peccati, & primam gratiam, nihil addit, praeter specialem Dei provisionem seu providentiam, qua fit, vt ille moriatur, antequam malitia mutet mentem eius: vt quando post vltimam conuersionem ad Deum, breuissimum vitae tempus superest, nec tentationes insistant: neque specialis Dei motio, & excitatio est necessaria: ostendimus autem hoc ipsum, scilicet, mori in statu gratiae, non esse effectum huius sacramenti ergo.

Et ex his omnibus infero, non esse etiam Eucharistiam medium necessarium ad gloriam corporis consequendam: haec enim responderet gratiae consummatae, seu gloriae animae: & ideo sacramentum, quod ad gloriam animae, quam corporis: & ideo Paulus Rom. 6. resuscitando animam, dat ius ad resurrectionem corporis, &c. 8. gene-

generalis dicit, resurrectionem corporis gloriosi futuram esse, propter inhabitantem Spiritum Dei in nobis, utique per gratiam.

*Corol.* Dico quarto, posse hoc sacramentum quodammodo, seu moraliter dici necessarium ad perseverandū in gratia, id est, valde utile & efficac: adeo, vt dicere possimus, eum, qui voluntarie diu abstinere ab huius sacramenti perceptione, vix posse moraliter dici perseverare in gratia sine nouo peccato morali. Ita insinuat D. Thom. supra q. 65. art. 4. clarius in 4. d. 12. q. 3. art. 2. quæstiu. 1. ad 1. & 4. cont. Gen. c. 61. & multa

*Thom.* ex Patribus ad hoc propositum congerit Claudius repetit. 6. c. 7. solum est notandum locus Cypriani, exponens orationem Dominicam, & circa verbum illud, Panem nostrum, &c. dicentis, Vt manifestum est eos vivere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt, ita timendum est, & orandum, ne dum quis abstinere separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente: Nisi manducaueritis, &c. Et ad eundem

*Cab.* modum loquitur Con. Cabilonensē II. c. 46. & ponderandum est illud verbum, timendum est, & orandum, quo satis significat, hoc non esse infallibile, nec simpliciter necessarium, sed valde periculosum, atq; adeo moraliter quodammodo necessarium: de qua necessitate, proueniente ex fragilitate hominis, & periculis huius vitæ, videtur exponere locum Ioa. quæ expositio ita est sumenda, vt nō excludatur alia propria, de qua infra. Ratio vero non est alia, nisi quia hoc sacramentum, per se, est institutum, vt conferat homini singulare auxilium ad cauenda peccata, & perseverandum in gratia: ergo cum hæc res sit adeo difficilis, & homo nimium fragilis, non est incredibile, si contemnat, vel voluntarie omittat hoc mediū: facile casurum: præsertim, quia cum Deus iam instituerit hanc veluti ordinariam viam, facile fortasse deseret eum, qui voluntarie illam deserit: secus vero est, quando inuoluntarie omittitur, quia tunc & votum sacramenti & alia media poterunt supplere hūc effectum.

*Diam.* Sed quæret aliquis, cum hoc sacramentum sit nobilius cæteris, cur non est impositum sub maiori, vel aequali necessitate, ac cætera, cum potuerit Christus sub hac lege illud instituire? Responderi potest ex Caietano hic, rationem sumi ex natura sacramentorum: nam regeneratio, quæ est per baptismum (& idem suo modo, est de Pœnitentia) est initium vitæ spiritualis: & ideo per se requirit, vt tanquam mediū, in re ipsa, exhibeatur, & per se accidens est, quod interdu in voto sufficiat. At Eucharistia se habet per modum finis: cuius natura est, vt habeatur in intentione: & ideo hoc sacramentū per se saluat, vt in voto existens, ac propterea non ex natura sua mediū necessarium. Quæ ratio primum videri potest obscura: quia vix intelligitur, quid, & quomodo concludat. Deinde videri potest falso dicere, si proprie de sacramento, & sacramentali eius vsu loquamur: quod per se saluat Eucharistia in voto suscepta: quia si sermo sit de salute simpliciter, prout conferri potest per baptismum, & alia media, illam non confert Eucharistia, etiam in voto suscepta, vt dixi: si vero sit sermo de salute prout per Eucharistiam conferri potest, ad hoc per se requiritur, vt non tantum in voto, sed etiam in re Eucharistia suscipiatur: vnde etiam falsum est, hoc sacramentū, per se & natura sua, in voto esse sumendum: quia reuera non est institutum, per se loquendo, nisi vt in re, & sacramentaliter suscipiatur: & hoc modo est necessarium ea necessitate, quæ in illud conuenire potest, scilicet, præcepti, vt iam dicam. Dico autem semper, si proprie loquamur. Primum quidem, quia si loquamur de voto huius sacramenti, sicut de propositio seruandi alia præcepta, sicut dici potest obseruatio præceptorum, & propositum eius saluare hominem: ita etiam dici potest votum huius sacramenti conferre salutem, & iterum statim dicam. Deinde (quod

valde obseruare oportet ad intelligenda aliqua loca tam D. Th. quam Sanctorum PP.) quia cum in hoc sacramento sit realiter ipse Christus, imo cum reuera Christus sit ipsum sacramentum, facile sit transitus ab hoc sacramento ad Christum: & e contrario: vnde, quia tota nostra salus à Christo manat, & coniunctio cum illo est simpliciter necessaria ad salutem, ideo dū loquuntur Sancti de hoc sacramento, ratione rei in illo contentæ, dicunt ab illo esse efficaciam omnis gratiæ, & ex voto aut desiderio eius, seu in ordine ad illud, omnem perfectionem gratiæ conferri. Et ad hūc modum posset accommodari dictum Caiet. vt magis patebit ex dicendis. Ratio ergo propria, ob quam sacramentum hoc, quamuis sit perfectissimum, nō est mediū simpliciter necessarium non aliunde, quam ex ipsamet perfectione, & excellentia eius, petenda est: nam quo est nobilius, eo magis accedit ad rationem finis, & deficit à ratione mediij necessarij: sicut perfecta charitas melior est, quam inchoata: non tamen ita est ad salutem necessaria, vel certe gloria ipsa melior est, quam gratia, non tamen est in ratione mediij, ita necessaria sicut gratia: quamuis intentio & desiderium consequendi gloriam sit necessarium: & ita hoc sacramentum cum sit finis omnium, non oportuit esse necessarium mediū: quamuis desiderium eius dici possit necessarium, vel ratione rei contentæ, i. desiderium Christi: vel, si proprie sit sermo de sacramento, solum ratione præcepti, erit necessariū propositum sumptionis eius, sicut propositum seruandi alia præcepta. Et hoc fortasse voluit Caietanus.

Secundo explicatur hoc amplius, soluendo similitudinem secundam rationem contrariæ opinionis: nam quia hoc sacramentum nobilissimum est, decuit vt per se & ex natura sua primam gratiam supponeret, & non esset sacramentum mortuorum, sed viuorum: quia sanctissimum omnium sacramentorum sanctius quam cætera, tractandum est: & ideo non potuit esse mediū necessarium ad primam gratiam: supposita aut primam gratiam, illa de se se est sufficiens causa gloriæ, & per opera bonæ & meritoria, potens est ad crescendo & resistendum contrariis, & auxilium ad hoc necessarium ex natura sua illi debitum est, quia virtute & efficacia priuari non debuit per alicuius sacramenti institutionem: & ideo non potuit hoc sacramentum esse necessarium ad salutē. Adde tertio, illud donum perseverantiæ, quod datur alicui, vt infallibiliter in gratia moriatur, non potuisse, vel saltem non oportuisse conferri ex opere operato per aliquod sacramentum: vel quia semper pēdet ex futuro vsu liberi arbitrij, vt quidam dicunt, vel (quod verius existimo) quia pendet ex diuina electione, quæ non est eiusdem modi in omnibus, neque habet eosdem effectus perducentes ad gloriam, etiam si effectus sacramenti & dispositio recipientis æqualis sit: & aliunde etiam expediens fuit hoc donum non esse infallibiliter annexum huic sacramento, vt homines semper timerent occulta Dei iudicia, & libentis Dei gratia magis ostenderetur. Ex quo discursu intelligitur, itate ordinario modo prouidentia, & electionis diuine, non potuisse aliquod sacramentum esse singulis hominibus necessarium mediū ad salutem, nisi addandam primam gratiam, & tollendum peccatum illi contrarium, institutum sit.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ, vt respondeamus illi testimonio Ioan. 6. & Patribus, qui circa illud citantur, nonnulla dicenda sunt. Primum est, ad 1. D. Augustin. sapissime locum illum exponere, non de sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ est per fidem: quo sensu sæpe ait, paruulos manducare, quia per fidem in habitu credunt: seu quia pertinent ad vnitatem Corporis Christi. Quem sensum & Cyprianus, & Innocen. præcedenti sectione citati; quando indicant Eucharistiam esse necessariam paruulis, & expresse D. Thom. supra q. D. Thom. 65. artic. 4. ad 2. & infra qu. 80. artic. 9. ad vltimum, & colligi

*Explicatur mens Caiet. solutio Dubit.*

*Declaratur doctrina resolutionis.*

*Corollarium ex præcedente d. scilicet additum.*

*Responsio ad argumenta contraria.*

*S. August.*

colligi potest ex August. lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. & libr. 2. cap. 1. & 1. 4. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 4. & lib. 3. de doctri. Christi. c. 18. & aliis locis, quos infra qua. 75. art. 1. tractabimus, ostendendo non esse hunc solum literalem sensum illius loci, sed potissimum esse de sacramentali manducatione Christi in hoc sacramento. Vnde August. qui prioris sensu vitur, nunquam hunc excludit, sed potius aliis locis illum docet, vt infra dicemus: notat etiam Pet. Soto lect. 8. de Eucharistia, Patres, cum praedictum sensum sequuntur, nunquam dicere homines non posse saluari sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis & sanguinis Domini.

*Phil. Soto.*

Secundo igitur dicitur, sermonem ibi esse de hoc sacramento: sed oportet aduertere, quaedam ex illis verbis esse tantum affirmatiua, seu promissiu, vt: Qui manducat me, viuet propter me, & Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum: & haec nullam indicant necessitatem, sed efficacitatem huius cibi: habet autem illa promissio subintellectam conditionem, vt supra diximus. Et ita ex hac parte facile expeditur difficultas: neque enim oportet, sicut Filius est a Patre, vt ab vno principio, ita spiritualement vitam in nobis esse ab hoc sacramento: non enim necesse est exemplum esse simile in omnibus: neque comparatio in eo fit: sed solum in communicatione, vt sunt illa: Nisi manducaueritis: & haec continent quidem necessitatem, non tamen medij, sed praeccepti: huiusmodi enim forma verborum, de se indifferens est, & interdum significat necessitatem medij, vt in illo: Nisi esuriamini sicut paruuli, &c. Vnde ex materia: in quam cadunt, discernendus est sensus: si enim est sermo de re necessaria ad tollendum peccatum mortale, vel acquirendam gratiam, praeter necessitatem praeccepti continent necessitatem medij: & huiusmodi sunt locutiones ille de Baptismo & Penitentia. Si vero sermo sit de actione aliqua, quae supponit peccatum remissum, & gratiam acquisitam, solum significant necessitatem praeccepti: vt si dicamus, nisi quis seruauerit mandata, non saluabitur, vel, nisi quis resituerit, &c. nam, quia observatio mandatorum est suo modo necessarium medium ad salutem aeternam, ideo his etiam verbis haec necessitas significari potest. Et de hac necessitate loquitur Cyrillus supra, & saepe August. & D. Thom. infra q. 90. artic. 11. ad 1. & optime Laurentius Iustin. libro de perfectionis gradibus, c. 14. & alij, qui interdum agunt contra eos, qui mysterium hoc non credunt & contempnunt. De quibus merito dicunt, non posse saluari sine hoc sacramento, saltem credito, & desiderato, eo modo quo creduntur & desiderantur alia praeccepta, ad quem modum dicunt etiam sacrificium Missae esse necessarium ad salutem.

*S. Cyrillus.  
S. August.  
D. Thom.  
Laur. Iusti*

*D. Thom.  
Laur. Iusti*

*Paruuli non  
habent praec-  
eptum de  
Eucharistia  
sumenda.*

Et iuxta hanc expositionem, consequenter dicendum est tertio, verba illa: Nisi manducaueritis, &c. dirigi ad adultos tantum, & non ad infantes, vt bene D. Thom. exponit lect. 7. in Ioan. & Laurentius Iustin. libro de obedient. c. 54. Iam in cap. 59. concordia: vbi dicit Augustinum interdum extendisse illa verba in aliquo sensu ad paruulos, ad abundantiam doctrinae: non vero, quia ille sensus necessarius esset, nec proprius illorum verborum. Primo quidem, quia soli adulti sunt capaces praeccepti, verba autem illa praecceptum continent, vt dixi: nec potest dici extendi ad infantes, hoc sensu, quia scilicet adulti tenentur illis Eucharistiam praebere: erroneum est enim hoc: nam nullum extat tale praecceptum, vt q. 90. ostendimus. Secundo, quia Eucharistia per se non est instituta pro paruulis, sed pro adultis, vt vsus Ecclesiae probat: & quia non omnes infantes sunt capaces proprii cibi & potus corporalis, nec etiam spiritualis: quia non sunt capaces deuotionis: ergo verba, quibus hoc sacramentum praecipitur, non dirigitur ad paruulos.

Christus enim de propria & perfecta manducatione loquitur: de sacramentali, scilicet, quae habet adiutam spiritualement, vt fructuosa sit, & qualis decet tantum sacramentum. De qua etiam loquitur Paulus, 1. Cor. 11. cum inquit: Probat autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: indicans neminem esse laicum ad edendum, nisi qui probare seipsum potest, quod est proprium adultorum: totus ergo sermo de hoc sacramento proprie ad adultos dirigitur. Et confirmatur, quia valde consentaneum est huic sacramento, vt conuenienti modo suscipiatur, cum actu, ali deuotione suscipientis: ergo non fuit conueniens necessitatem eius imponi alicui, qui non est capax huius deuotionis, & reuerentia. Tertio hoc colligitur ex ipsa verborum forma: in baptismo enim passiuum dicitur est, nisi quis renatus fuerit, quod propriissime conuenit paruulis: hic vero actiuus dicitur, nisi manducaueritis: quod, vt dixi, non potest proprie conuenire omnibus paruulis, sicut alibi etiam dicitur est: Nisi penitentiam egeritis: quia illa etiam verba ad solos adultos dirigebantur. Noe vero hinc sequitur, quod supra inferebatur: posse illa verba de solis illis hominibus exponi, qui Christum audiebant: quia, cum praecceptum generale ferretur, licet solum coram illis, qui adfuerunt, promulgetur, non tamen ad solos illos pertinet, sed ad omnes, qui sunt capaces illius, & non ad alios, ad quos materia talis praeccepti non spectat, quia non sunt illius capaces, sicut dicendum necessarium est in illis verbis: Nisi penitentiam egeritis: quae ad solos adultos referuntur: non tamen ad illos solos, qui praesentes aderant, quando Christus illa protulit: & simile seu proportionale est de illis; Hoc facite in meam commemorationem, quae nec etiam omnibus adultis dicta fuit, sed solis sacerdotibus: non tamen solis praesentibus, sed omnibus, qui in Ecclesia futuri erant.

Hinc quarto, propter D. Thom. auctoritatem, qui tam hic, quam aliis locis sic loquitur, admitti potest in aliquo sensu omnes iustificatos habere votum huius sacramenti. Primo, secundum quandam accommodationem, seu proportionem: quatenus videlicet, omnis res inclinatur ad suam consummationem & perfectionem: nam quia per gratiam vnimur Christo: & haec vnio specialiter perficitur per hoc sacramentum: ideo qui iustificatur, quasi ipso pondera gratiae, dicitur appetere perfectam vnionem cum Christo, qualis per hoc sacramentum fit: & specialiter, quia baptismus est ianua sacramentorum: Eucharistia autem est veluti finis eorum, ideo quodammodo baptismus dicitur includere votum Eucharistiae, sicut medium dicitur appetere finem, vel inchoatio perfectionem: vt insinuat Caietan. infra q. 90. artic. 12. Vel secundo dicit potest, paruulum per baptismum quodammodo accipere ius ad communicandum Christi corpori, sicut sponsa per Matrimonium ratum accipit ius in corpus sponsi: quia ergo, necessarium est acquirere hoc ius, & qui habet ius ad aliquam rem, quasi moraliter censetur appetere consummationem seu usum illius iuris, ideo sacramentum ipsum baptismi, conferendo hoc ius, censetur conferre votum huius sacramenti, de quo legi potest Augustin. libr. 3. de peccat. merit. cap. 4. Vel tertio, & fortasse melius: quia ad iustificationem medium necessarium est propositum, seu votum implendi omnia praeccepta, vel per actum proprium, vt in adultis, in quibus haec est necessaria dispositio ad iustitiam: vel per habitum, seu per alios, in paruulis, qui, sicut dicuntur habitu credere, vel per Ecclesiam, ita dicuntur habitu, vel per alios proponere seruare omnia praeccepta: & quia vnum praecceptum est de sumenda Eucharistia, ideo dici possunt habere votum & propositum huius sacramenti. Ad quem modum exponi potest, quod Augustinus dicit epistol. 107. ad Vitalem, paruulos credere, & comedere carnem Christi per corda & ora gestantium. Hinc vero non fit, hoc

fit, hoc sacramentum esse medium necessarium magis quam alia præcepta, quia nullus effectus necessarius specialiter datur propter hoc sacramentum, neque ab illo pendet: sicut etiam intentio consequendi beatitudinem, quæ per virtutem spei concipitur, est necessarium medium ad salutem: ipsa vero beatitudo non est medium: sic igitur, licet dicamus, aliquo modo votum aut desiderium Eucharistiæ esse necessarium tanquam intentionem & desiderium finis, non inde fit ipsam Eucharistiæ esse medium necessarium ad iustitiam, sed solum ad quandam iustitiæ perfectionem pertinere.

Vltimo, iam obseruavi, Patres loquentes de hoc sacramento, sæpe facere transitum à Christo ad hoc sacramentum, & ab vnione cum Christo ad Eucharistiæ, & e conuerso: quia Christus in hoc sacramento vere, & realiter continetur. Vnde, quia coniunctio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, & similiter, quia omnis gratia à Christo necessario manere debet, ideo dicunt, hoc sacramentum esse necessarium, quoad rem, quam efficit, quamquam, vt ex Petro Soto notauimus, August. & alij nunquam dicant, homines, præsertim paruulos, saluari non posse sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis & languinis Domini. Secundum argumentum solutum iam est.

Ad tertium, ex metaphora cibi desumptum: primum iam ostendimus non procedere in parualis, in quibus differentia est inter vitam corporalem & spirituales, quod in illa semper, & in omni ætate agit naturalis color, & corpus patitur à contrarijs, & ideo à principio indigent alimento aliquo: at vero spiritualis vita, pro tempore infantia, nulli actioni contraria subiecta est, & ideo non indiget cibo. Secundo, in adultis notari potest alia differentia: quia corporalis vita ex necessitate patitur actionem contrarij agentis, quod damnnum non potest, nisi per nutrimentum reparari: at vero spiritualis vita non potest damnnum pati, nisi per actionem liberam, & ideo non est illis simpliciter necessarius cibus, extrinsecus adueniens (vt ita dicam) sed per actionem liberam, vt per amorem Dei & Christi, qui est cibus spiritualis animæ, augeri, & defendi potest. Vnde dicitur tertio, quando plura sunt ciborum genera, licet cibus sit simpliciter necessarius, non tamen hic, vel ille definitur: igitur spiritualis vita habet quidem vtilissimū cibum sacramentalem (vt ita dicam) tamen habet etiam alium, quasi internum, in actibus virtutum consistente, quo etiam potest nutriri, & à contrarijs defendi: quia igitur ille cibus, qui est sacramentum, non destruxit alium, neq; abstulit illi efficaciam, idcirco quauis vtilissimus sit, non tamen est necessarius simpliciter. Quarto addit D. Tho. hic ad 2. ( & sere in idē redit ) cibum corporeum esse necessarium, quia mutari debet in alium: cibus vero animæ Christus potius mutat alium in seipsum: quod potest præstare, non solum perceptus in sacramento, sed etiam spiritualiter conceptus, per ipsius animæ, & mentis propositum: id est, per fidem, & amorem ipsius Christi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomen enim debens respondere rebus: sed hoc sacramentum est vnum, vt dictum est. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

2. Præterea, Species non notificatur conuenienter per id quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum nouæ legis. Omnibus autem sacramentis commune est, quod in eis confertur gratia, quod significat nomen Eucharistia, quod est idem, quod bona gratia. Omnia etiam sacramenta. Franc. Suarez. Tom. 3.

ta remedium nobis asserum in via presentis vite, quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum, quod pertinet ad rationem sacrificij. Et per omnia sacramenta sibi inuicem communicant fideles, quod significat hoc nomen Synaxis, in Greco, vel Communio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptantur huic sacramento.

3. Præterea, Hostia videtur esse idem, quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur hostia.

Sed contra est, quod vsus fidelium habet.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemoratiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, vt supra dictum est, & secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei presentis, scilicet, Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur Communio vel Synaxis. Dicit enim Damascenus 4. lib. quod dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christo: & quia participamus eius carne & Deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum, scilicet, hoc sacramentum est præfiguratiuum fructus Dei, quæ erit in patria. Et secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundum hoc etiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia: quia gratia Dei vita æterna (vt dicitur Rom. 6.) vel quæ realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in Greco metalepsis, id est, assumptio, quia, vt Damasc. dicit, per hoc filij deitatem assumimus.

Lib. 4. ortho. fid. cap. 15. ad mod.

Lib. 4. ortho. fid. c. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari secundum diuersas proprietates vel effectus.

Ad secundum dicendum, quod id, quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice ei propter eius excellentiam.

Ad tertium dicendum, quod hoc sacramentum dicitur sacrificium, in quantum representat ipsam passionem Christi. Dicitur autem hostia in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris: vt dicitur Ephes. 5.

COMMENTARIVS.

Quing tantum nomina huius sacramenti explicat D. Tho. eaq; distinguit ex diuersis eius proprietatibus & significationibus: nam quia hoc sacramentum significat præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, & vnitatem corporis Christi in se & cum suo capite coniuncti, & futuram gloriam: & hæc omnia non poterant conuenienter vno nomine explicari, ideo plura sunt illi imposta: & quatenus significat passionem, dicitur (sacrificium:) vt vero significat vnitatem Ecclesiæ, dicitur (communio:) quatenus vero præparat ad gloriam, dicitur, (viaticum:) & sub eadem ratione, vel quatenus realiter continet Christum, qui est plenus gratia, dicitur (Eucharistia:) id est, bona gratia, ac deniq; (metalepsis:) id est, assumptio etiam dicitur, quia per hoc sacramentum filij deitatem assumimus: hæc D. Thomas.

Sed vt horum nominum ratio copiosior habeatur (multum enim conferret, ad veritatem & maiestatem huius sacramenti explicandam) distinguaui in primis duplicem huius mysterij rationem, sacramenti scilicet, & sacrificij: & quoniam de hac posteriori in secunda principali parte huius materiæ dicendum est, illic etiam de nominibus, quæ ad illam pertinent, tractabimus: hic vero de illis, quæ rationem huius sacramenti explicant: sunt autem in hoc sacramento multa, à quibus varia nomina, partim propria, partim metaphorica, sumpta sunt. Primum est, materia sensibilis ex qua hoc sacramentum

Pp confi-